

NUMMUS MISSILIS
IN FESTIVITATE NUPTIALI SIGISMUN-
di tertij, Poloniæ Regis; & Annæ Austriacæ,
sparsus. Anno Christi

1592.



Olonia Rex Sigismundus nuptias Annæ, filiæ Caroli Archiducis Austriæ, Rudolphi Cæsaris patrui, hoc tempore ambibat. Erant nonnulli inter ordines Poloniæ, qui, nescio quam ob causam, domui Austriacæ infensiores matrimonium hoc non dissuasuerunt modò: sed Regi, ut ab eo abstineret, imperare velle videbantur. Sperabant vicissim plerique matrimonio hoc effectum iri, ut antiqua illa necessitudo & amicitia, quæ inter domum Austriacam & Re-

gnum Poloniæ semper fuerat, iam verò duabus ultimis electionibus inter utrosque Maximilianos Imp. patrem, & Maximilianum filium non nihil erat labefactata, refarciretur. Horum itaque sententiis Rex confirmatus celebrem, in Boëmiam, legationem adornat, voti sui atq; affectus explicandi gratiâ, cuius principes erant Cardinalis Radziuilius, Episcopus Vladomiriensis, & complures alij, magnæ autoritatis nominisque viri. Hi quâ fide & prudentiâ munus suum obierint: ut per Archiduces Mathiam & Ernestum Regi sit soror desponsata: quo comitatu in Poloniam deducta: quâ comitate à Rege excepta: quo sumptu, quâ pompâ, quibus epulis spectaculisque festivitas nuptiarum consummata fuerit, recensere pluribus superfedeo, ne actum, quod aiunt, agere videar. Ad nummum, quicædem celebritate nuptiarum in plebem sparsus, me converto. *AEgyptio Scytham non invidere pro verbis dicitur: quod non nisi ea, quæ proxima, vitij huius afflat, contrahatq; malignitas: est malevolus (Salomonis effato) vicinorū oculus: nec peregrinū, sed vicinum pecus (iuxta Nasonē) grandius uber habet. Næ vero longè dispar atq; diversa amoris est conditio: ut qui non proximorum saltem, sed & longius à se invicem remotorum animos coniungit atq; conglutinat: pronubâ ac illice, potissimum, virtute: cuius vis ea, ut sui causâ absentes etiam, quosq; nunquam vidimus, aut visuri sumus, diligamus? Hinc non secus atq; palme due lato à se invicem seiunctæ flumine, ramos nihilominus suos connectunt ac copulant: sic decus illud feminarum Archiducissa, pretiosis familie, corporis, cum primis vero animi sui dotibus corripit, & ad se trahit COR Sigismundi, nullâ impediente locorum distantia ac intercapedine. Aquila porro Imperij, Regniq; Poloniæ dum insignia domus Austriacæ utrinq; apprehendunt, sociatos matrimonio eos denotant: quorum animos paulo prius nō tam cause quædam private, quam Ordinum in suffragando dissensus atq; divortium disceperat.*

Author ex contin: Sleid.